

AD ILLVSTRANDAM
GEORG. ADAM. STRVVII
IVRISPRVDENTIAM ROMANO-GERMANICAM
LIB. I. TIT. II. §. I. - VIII.
THESES VARIAE
QVAS
PRAESIDE
D. GEORGIO STEPHANO
WIESANDIO

PROFESSORE INSTITVTIONVM ORDINARIO
CVRIAE PROVINCIALIS SCABINATVS ATQVE
COLLEGII IVRE CONSVLTORVM ASSESSORE

DIE XXVII. IAN. A. S. R. CIOIO CCLXVII.

H. L. Q. S.

PVBlice DEFENDET

CHRISTIAN EHRENFRIED SCHMIDIUS
GORLICENSIS.



VITEMBERGAE
EX OFFICINA GERDESIANA.

Coll. diss. A
236, 17

Diss. 236 / 17

AD ILLUSTRISSIMAM
GEORG. ADAM. STRUVII
CHRISTOPH. ROMANO GERMANICO
MAGISTRO A. V. M.
THESES VARIAS
PRAESENTANS
D. GEORGIO STEPHANO
WIEBANDIO
PROFESSORE INSTITUTIONUM ORDINARIO
CIVILIS PROVINCIAE SABBATIS
COLLEGIUM UNIVERSITATIS
DIE KRISTIANI A. S. L. CIVIS
H. L. G. S.
PUBLICE DEFENDIT
CHRISTIAN FRIEDRICH SCHMIDT
GELICENSIS.



ALTMERGAU
EX OFFICINA GEBESIANA.

17/12/17



THESIS I.



Verbum ius quamquam habet significationes varias eademque valde elegantes, ^{a)} duae tamen nobis cum ob simplicitatem naturalem, tum ob usum, quem in legibus interpretandis praestant, placent maxime, ita ut eas reliquis omnibus longe anteponamus. Una, quae notionem legis exprimit, usu dicendi frequentissima, altera, quae facultatem aliquid faciendi a principe civibus concessam complectitur, ^{b)} cognitione longe dignissima. Has tanquam reginas magnopere colimus, ceteras tanquam ancillulas, nec despicimus, nec tamen magni facimus.

^{a)} Diuersas huius verbi significationes in vnum locum diligenter con-gesserunt, qui lexicon iuridicum Geneuae apud Stoerium anno 1607 confecerunt, quem librum legisse neminem poenitebit.

^{b)} Hugo Grotius in diuino opere de iur. bell. et pac. L. I. cap. I. §. 4. eam describit per qualratem moralem personae competentem ad ali-quid iuste habendum, vel agendum, quae descriptio aliquid habet obscuritatis. Multo minus probamus vagam nimis notionem, quam proponere haud erubuit Nicol. Hieron. Gundlingius in iur. nat. et gentium, cap. I. §. 58. his quidem verbis: ius libertatem seu facul-tatem et potentiam actiuam significat, quam viro tantae famae dixeris esse indignam.



THESIS II.

Minus accurate veteres Romani ius publicum descripserunt, nec tanta cura, quanta decebat, excoluerunt. Nec hodie semper eius solida plenaque imago exprimitur. Vulgo enim istud ad statum publicum pertinere aiunt *a)* hacque explanatione huius rei studiosis satisfecisse videntur. At cui bono haec proponitur enunciatio, si quid status sit publicus, nescias? Nos illud consistere dicimus in praeceptis, quae publica commoda et ad principem et ad ciues communiter pertinentia vtiliter persequuntur. *b)* Est vero ius publicum duplex, vnum divinum, rationale, perpetuum, quod vulgo dicitur vniuersale, alterum humanum, arbitrarium, (verbum posituum tanquam scopulum fugimus) temporarium. Quae partitio satis nota ideo a nobis repetitur, vt intelligatur, non opus esse eam verbis significare barbaris et obscuris, cum non desunt pura valdeque perspicua.

a) Ita in Institut. Iustinian. T. de Iust. et Iure §. 4 exprimitur, Ulpianus L. I. §. 2. D. eod. tit. illud in sacris, sacerdotibus et magistratibus consistere ait. Quo continetur ius augurale, pontificium et senatorum, neuiquam vero, vti quidam opinati sunt, ius gentium, quod praeclare dudum obseruauit Iac. Cuiacius in recitat. ad tit. pandect. antea adductum.

b) Io. Orw. Westenbergius in princip. iur. secund. ord. digestor. T. de Iust. et Iur. §. 31. ius publicum dicit, quod ad vtilitatem rei publicae directo et primario pertinet.

THESIS III.

Iure consulti Romani errore communi abrepti ius naturae male statuerunt esse illud, quod natura omnia animalia docuit. *a)* Primo enim verbum natura multas inuoluit difficultates multisque premitur obscuritatibus. *b)* Deinde ius naturae non consistit in iis tantum actionibus, quae natura cogente sine vlllo consilio suscipiuntur. *c)* Quodsi ratio ad leges cognoscendas est necessaria,
bruta



bruta animalia in communionem iuris rationalis venire non possunt. *d)* Qui igitur ius naturae in primis naturae appetitionibus quaerunt, ii vel abutuntur verbis, *e)* vel hominis praestantiam ignorant.

- a)* Exstat de hac re praeclara Gottl. Kortii dissertatio, quae etsi doctissimi viri subtile ingenium perspicue ostendit, a veritate tamen paulisper deflectit.
- b)* Stoici naturam dixerunt rationem omnibus mundi partibus insertam. Seneca de benefic. III. 7. Adeas velim Iusti Lipsii manu duct. ad Stoic. philosoph. L. 2. diff. 14.
- c)* Turpem errorem commisit Ioh. Georg. Wachterus, qui in originibus iuris naturalis p. 5. ius naturae dicit esse naturales omnium rerum operationes.
- d)* Veteres iure consulti hoc prope perspexerunt. Ulpianus, L. I. §. 3 D: si quadrupes pauper. fec: nec potest animal iniuriam fecisse, quod sensu caret. Consultatur de hoc argumento Io. Barbeyracius in praefat. Puffendorffii iur. natur. et gent. praemissa §. 28.
- e)* Commendari meretur Io. Georg. Waltheri progr. de primis iur. natural. fontibus.

THESIS IV.

Satius esse ducimus ius naturae in strictiore sensu accipere, ita ut sit complexio officiorum perfectorum, ad quae praestanda omnes homines natura obligantur. *a)* Ita enim ab officiis, quae morum doctrina praecipit melius discernitur, etsi in vita omnia officiorum genera amicis vinculis inter se sunt coniungenda. *b)*

- a)* Veteres philosophi officiorum genera coniunctim tradiderunt, ita ut ius naturae in morum doctrina simul explicaretur, id quod aureus libellus Ciceronis de officiis clare satis monstrat. Distinctius vero philosophari coeperunt Grotius et Puffendorffius, quorum vestigia multa cum laude presserunt nominatim Thomafius, Gerhardus, Gundlingius, Gribnerus et alii, quorum laudes semper praedicabit



grata posteritas. Egregie de vtilitate huius distinctionis exposuit Christ. Gottl. Schwarzius in praefatione elegantissima, qua Io. Schef-feri Grotum enucleatum exornauit.

- b)* Hic plerumque errant acuti saepe viri, qui quicquid ratio haud prohibet, a quouis fieri posse sibi temere persuadent, religionis, quam profitentur, parum memores.

THESIS V.

Ius naturae est vnum sibi que semper aequale, nec temporibus vel nationibus distinguitur. Perperam igitur nonnulli statuunt, eos qui hodie puriorem religionem profitentur, iure naturae vti plane nouo multumque ab eo, quo Graeci Romanique impiis sacris adhuc addicti fruebantur *a)* diuerso.

- a)* Cur igitur vir alias longe doctissimus Celeberr. Io. Andr. Michael Nagelius dissertationem, quae vindicias iur. natur. christianorum dare voluit, suo praesidio confirmauerit, vix intelligimus. Estne nobis alia ratio aliaque natura ac olim fuit? Vtinam meminisset eorum, quae a Cicerone de Legibus L. I. c. 15. sapienter profecto dicuntur: est enim vnum ius, quo deuincta est hominum societas, et quod lex constituit vna, quae lex est recta ratio imperandi, atque prohibendi, quam qui ignorat, is est iniustus, siue est illa scripta vsquam, siue nusquam.

THESIS VI.

Romani ius gentium minus recte in consuetudinibus necessitatis vel vtilitatis caussa inter gentes receptis posuerunt. *a)* Ita enim fons, vnde obligatio iuris gentium est deriuanda, prorsus obstruitur crassisque erroribus via aperitur. Est vero illud ipsum ius naturae ad negotia gentium accommodatum, origine diuinum, *b)* vtilitate commune, tempore perpetuum *c)* atque ex sola ratione perspicuum, *d)* quod nostra aetate a multis, in primis vero a Perill. de Vatel est perpolitum.

a) Placet



- a) Placet nobis sententia Cui, quam L. 9. D. de Iust. et Iur. exhibet his quidem verbis: quod vero naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peraeque custoditur, vocaturque ius gentium, quasi quo iure omnes gentes utuntur. Sed veteres hoc nomine ius naturae, uti a nobis hodie traditur, nuncupasse ex L. I. §. 4. ejusd. tit. apparet. Vide Aug. a Leyser specim. III. meditat I. Vehementer quoque fallitur Franc. Horomannus, qui in quaestion. illustribus ius gentium ubiuis ex iure civili repetit.
- b) Id Romani non agnouerunt, dum ab ipsis gentibus illud constitutum esse statuunt. Tit. Instit. de iur. natur. gent. et civil. §. 2.
- c) Lectu digna profert de hac re Lactantius institut. diuin. L. 6. c. 8.
- d) Non igitur a ratione moribusque antiquis repetendum, nec in moribus ponendum, quod tamen saepe fecit Grotius.

THESIS VII.

Saepe disceptatum est, existatne ius gentium arbitrarium nec ne? Fuerunt, qui pro eo tamquam pro aris et focis pugnaverint, ^{a)} quorum tamen opiniones alii imminuere studuerunt. ^{b)} Nos vero dolemus, tanta certamina ex causis non satis idoneis esse commota. Quodsi discrimen inter ius gentium commune et proprium paulo accuratius expendissent, in eas turbas non incidissent. Affirmamus igitur, iura gentium existare arbitraria, ^{c)} quibus tamen in iure gentium communi locum denegamus.

- a) In quibus numero Io. Georg. Kulpisium, qui exercitat. I. §. 9. ad Grotium, datur, inquit, ius gentium voluntarium a iure naturae specie distinctum, quale gentes obligat non solum ut pactum, sed ut lex etiam.
- b) Caspar Zieglerus in animaduers. ad Hug. Grot. de iur. belli et pac. L. I. c. I. §. 14.
- c) Ea ex pactioibus veniunt v. c. modus belli indicendi et gerendi, ratio foederum, variae legatorum ceremoniae huiusque generis alia.

THESIS



THESIS VIII.

Manumissiones, ^{a)} seruitutes, tutelas, testamenta, successio-
nem ab intestato, portionem legitimam variosque contractus ex
iure gentium deducere nolumus, iisque locum magis opportunum
in iure ciuili communi assignamus.

^{a)} Romani haec fere omnia ex iure gentium orta esse existimant.
Hinc Hermogenianus L. 5. D. de Iust. et Iur: ex hoc iure gentium
introducenda bella, discretæ gentes, regna condita, dominia distincta,
agris termini positi, aedificia collocata, commercium, emtio-
nes venditiones, locationes conductiones, obligationes institutæ.
Adde L. 4. eiusd. tit. et L. 4. §. 1. D. de stat. hom. vt alios locos
omittamus. Ex his facile est ad intelligendum, nos hodie iura com-
munia, quæ ipsa docet ratio, accuratius discernere eaque re
nostram ætatem esse beatiorem.



Coll. diss. A. 236, misc. 17